

D. Hieron. scriptus est, & inde D. Hieronymus ex Hebraeo eum in Latinum transtulit; & Septuaginta in Graecum traduxerunt, Sensus autem Hieronymus ea, quae non erant in Hebraeo, nempe a cap. 11. a caeteris segregavit, & in fine libri reposuit; quae antea ordine temporis, ac historiae in vulgata Latina erant in suis locis collocata; & eadem eodem ordine Graecae habentur apud Septuaginta, ex quibus exemplaribus Graecis in Latinum convertit D. Hieron. & ad finem libri reposuit, quasi lacinias (ut ipse sanctus Doctor vocat) Textus Hebraici, ex quo ipse caetera usque nempe ad cap. 10. transtulerat.

Auctor hujus libri.

298. Aliqui apud Eusebium Chron. anno Mundi 4734. Esdras esse putant quae sententia placuit Magn. August. lib. 18. de Civit. cap. 36. D. Hieron. lib. 6. Orig. cap. 2. & citantur pro hac sententia multi Hebraei Antiqui. Et si auctoritas tot Patrum sit magni ponderis, tamen interpretes verosimiliter existimant post artem Esdras hanc historiam contigisse. Inde est altera sententia multorum Hebraeorum antiquorum hunc librum fuisse scriptum a Judaeis ex Epistolis Mardochei.

299. Tertia sententia, & vera, est hunc librum fuisse scriptum a Mardocheo, ut ex ipsomet libro Esther colligitur. Nam ex cap. 9. n. 20. Ipse Mardocheus Auctor libri constituitur, ibi dicitur: Scripsit itaque Mardocheus omnia haec, & literis comprehensa misit ad Judaeos; & iterum cap. 12. n. 4. Rex autem quod gestum erat scripsit in Commentariis, sed & Mardocheus rei memoriam literis tradidit. Itaque Mardocheus res gestas, quibus ipse interfecerat, & quorum pars magna ipse fuerat, scripsit ad Judaeos. Communicata etiam re cum Esther, ut aperte constet ex cap. 9. num. 29. ubi dicitur: Scripsit Esther Regina filia Abihail, & Mardocheus Judaeis, etiam secundam epistolam. Et ita hanc sententiam ad exordium libri Esther tenent Vatabl. Lyran. Carthufan, Joan. Druisius M. Celada, Gordonius, Sanctius, Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei, cap. 7. Sixtus Senensis lib. 1. Biblioth. Leander. Pralud. 2. Salian. anno Mundi 3601. num. 6. Quo anno existimat hanc historiam contigisse.

De tempore hujus historiae.

300. Quaes res tamen pro exacta hujus rei intelligentia, quo anno haec historia acciderit, & quis fuerit iste Assuerus maritus Esther? In hac re quinque sunt opiniones. Probabiliores duas apponam. Et primam tenet Joseph. lib. 11. cap. 6. Nicephorus in Chron. Cajetan. Bellarm. Salianus Sanctius proximè citato anno, & multi alii qui tenent Assuerum fuisse Artaxerxem Longimanum, illius Xerxis filium, qui Esdras & Nehemiam remisit in Jerusalem data facultate, ut eam reedificarent, de cujus benignitate, ac clementia multa narrat Plurarchus in Apotege.

301. Secunda sententia, quam valde probabiliter tenent cum multis Rabbini Anianus, Lyranus, Tevardeus, Cornel. à Lapid. praefat. in Esther; qui dicunt Assuerum vitium

Estheris fuisse Darium Hystaspis, qui regnavit circa annum mundi 3532. Pro qua re multae adducuntur conjecturae. Unam apponam; nam hic dicitur cap. 1. vers. 1. quod Assuerus per amplum, ac solempne convivium fecit suis optimatibus, & quod praerat 127. provinciis, & idem expressè refertur de Dario Hystaspis, lib. 3. Esdra, cap. 3. num. 1. & 2. ubi sic habetur Esther. 3. Rex Darius fecit cenam magnam omnibus vernaculis suis, & omnibus Magistratibus Mediae, & Persidis, omnibus purpuratis, & praetoribus, & Consulibus, & praefectis sub illo ab India usque ad Aethiopiā centum viginti septem provinciis. Quae verba maxime coherent, & penè eadem sunt, quae de Assuero dicuntur; ergo Assuerus fuit Darius Hystaspis. Hic etiam Indios subjugavit, ut testatur Herodotus lib. 4. pag. 114. quod etiam de Assuero hic narratur cap. 1. n. 1.

QUESTIO XIV.

De auctore libri Job.

SUMMARIUM.

- 302 Heretici aliqui dixerunt, non esse veram historiam, sed parabolam.
303 Lutherus esse, ait, argumentum totius fabulae, & ibi ostenditur veritas historiae; Liber est Canonicus de fide.
304 Magna diversitas circa Auctorem hujus libri.
305 Verior sententia, quod fuerit Moyses.
306 Job, & Moyses contemporanei eodem saeculo.
307 Aliqua ex primo capite Moyses non potuit scire nisi ex divina revelatione.
308 Moyses scripsit cum esset in terra Madiani.
309 Scripsit Hebraice, & partim praefat.
310 Job Idumaeus ex genere Esau Rex, Justus, & Innocens, & Propheta, & Sacerdos.

Fidei veritas de historia.

HAeretici Talmudistae antiquitus dixerunt, narrata in libro Job, non esse veram historiam sed parabolam, nam quid insulsi, Job. 1. videtur dici c. 1. Quod Deus praefuit in Concilio cum Angelis, in quo interfuit Satanas. Sed haereticus est valde insulsa, & fatua, quia valde frequentissimum est in Scriptura, quod Angelus in persona Dei loquatur. Sic etiam frequentissimum est in Scriptura, quod Angeli boni habeant congressus, & altercationes cum Angelis malis. Sic Michael Archangelus disputat cum Diabolo circa Moysis corpus, Apostolus Iudas in sua Canonica, num. 9. sic Jud. Apoc. cum Dominus staret in Concilio, & dixisset; Quis exies, & decipias Achab? Unus dixit, ego decipiam, 3. Reg. 22. num. 20. & multis ostendunt scripturarum, ad cap. 10. Daniel. 7. 13. De contentione Angeli Israelis cum Angelo Perfarum.

Haeretici Anabaptistae, & maxime nostri temporis dicunt hanc historiam Job esse fabulam; & Lutherus inquit esse argumentum totius fabulae. Impius haereticus sua pravitate

non potuit intelligere tantam animi sublimitatem. Dicam ergo potius hanc historiam esse argumentum, & exemplar omnium virtutum quae omnes rapiunt in magnam sui admirationem. Quod bene intellexit ipse Job, dum c. 31. num. 35. cum ait: Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse, qui iudicat. Hebraeus sic legit: ut desiderium meum audiat omnipotens, & scripturam suam testificetur Deus. Id est, ut Deus huic historiae suam subscriptionem apponat, ut indubitata fides habeat apud omnes; & Deus desiderium Job audivit, dum tota haec historia ut Canonica à Deo inspirata, & testificata definitur ab Ecclesia de fide in Concilio Carthagini. 3. Florentino, & Tridentino sess. 3. & omnes Patres ut talem eam recipiant, & venerantur, & veritatem hujus historiae Deus in suis Scripturis voluit testificari Tobiae 2. num. 13. Patientia sancti Jobi adducitur in exemplum; sic ejus veneranda merita proponuntur ab Ezechiele 14. nu. 14. Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Nic. Daniel, & Job, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, Jacob. 5. num. 11. Patientiam Job audistis, finem Domini audistis.

Auctor hujus libri.

304. Magna diversitas opinionum est in hac re. Quidam, ut refert D. Hieron. lib. 6. Et mol. cap. 11. existimant librum scriptum ab aliquo Propheta, illum tamen non nominat. Alii existimant scriptum à Salomone, quod videtur sentire D. Nazianzenus Oratione ad Julianum, tributorum exactorem; sed hoc non videtur posse subsistere, quia in hoc libro Job, ut testatur D. Hieronymus, sunt multa verba Syriaca, ac Arabica, quae sunt aliena à Salomone. Alii putant scriptum ab inimicis Job, postquam reprehensi sunt à Deo, his enim laudibus voluerunt compensare injurias illatas in ipsum Job, & ut ipsi desiderium amici sui Jobi adimplerent, qui ait cap. 19. num. 2. ? Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel ceste sculptantur, in stlice. Alii, ut Suidas, Albertus Magnus, Ioannes Arboreus, cum quibus est Pineda Praefat. in Job, cap. 3. num. 3. Qui dicunt Job ipsum fuisse scriptorem hujus libri, nam semper Principes, ac Magnates consueverunt antiquitus res suas scribere ut Moyses, Iosue, Samuel, Esdras, Mardocheus.

305. Alii multi, ut Origenes, D. Hieron. lib. 1. de Officiis, Philippus Abulensis in Genesim, Bellarm. Serarius, Lahay sess. 15. cap. 10. Moysen fuisse scriptorem hujus libri; nam hic liber scriptus est Hebraice, ut ait D. Hieron. quamvis habeat aliqua vocabula Arabica, ut notat idem D. Doctor. Quomodo ergo fieri potest, ut Job homo Idumaeus non scriberet lingua sua Arabica, vel Syriaca, sed alieno idiomate, Hebraice nempe? Pro hujus rei majori intelligentia, nota, quod Job, & Moyses fuerunt contemporanei, & in eodem saeculo. Nam Moyses fugit in terram Madian anno Mundi 2503. Salian. 16. num. 20. quae in eum est ac Arabia, ut in confesso est apud omnes, & ibi commoratus

est quadraginta annis, ut testatur D. Stephanus Actor. 7. num. 29. Historia autem Job accidit anno Mundi 2527. ut tenet Salianus ibi num. 1. Veniens autem Moyses de Madian, seu Arabia eduxit inter tres, vel quatuor menses populum Israel de Aegypto, anno Mundi 2544. apud Salianum eodem anno num. 138. & Tor. Salian. nielium num. 16. ergo plusquam viginti annis Moyses commoratus est in Madian, seu Arabia, vivente Job, & quando ejus historia contigit. Et cum Moyses apud Madianitas fuisset in magno honore, ut testatur Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 7. bene debuit scire, & agnoscere totam historiam Jobi, vel ex multorum narratione, vel ex aliquibus monumentis scriptis, à Jobo, seu ejus amicis. Nec obstat, quod in ipso Textu Hebraico, ut ait D. Hieron. D. Hieron. mus sint aliqua verba Arabica; quia cum Moyses per quadraginta annos degeret apud Arabicos, & ipse esset magni genii praeditus Actor. 7. Multa verba Arabica debebat scire, & pronunciare, & ideo aliqua interposuit in Textu Hebraico.

306. Quomodo fieri potuit, ut homo tam magnus, ac praeclarus in Arabia exillens ignoraret ea, quae in Arabia debebant esse valde communia, & vulgaria? ac proinde Spiritu sancto calamum dirigente totam hanc historiam scripsit Moyses. Tamen semper dicendum est, ut notat Origenes, quod colloquium Domini cum Satana, ac concessa facultas in omnia bona illius, excepta vita, ut habetur cap. primo, quod ipse accepit ex revelatione Divina, sicut accepit ea, quae scripsit in libro Genesis de creatione Mundi.

De tempore hac scripta.

Origenem sequuntur caeteri recentiores, Bellarminus, Sanchez, Lahay, quod hanc Moyses scripsit, cum esset in terra Madian per quadraginta annos, quia tunc dabatur tempus, & multus erat locus ad hanc historiam tenendam; quod postea commodè fieri non poterat in Aegypto, multum occupatus in faciendis prodigiis, in emollienda Pharaonis duritie, & multum occupatus in instructione populi, ac illius libertate; sicut & in deserto in illius regimine, ac gubernatione. Deinde etiam haec scripsit: ut fratres suos Hebraeos consolaretur de dura vexatione, qua sub tyrannide Pharaonis opprimebantur, quod Deas quoque illis daret finem, sicut & dedit Job in tot calamitatibus, & afflictionibus.

De lingua, ac stylo Libri.

Hic liber, ut jam dixi, scriptus est Hebraico idiomate, intermissis aliquibus sermonibus Arabicis, ac Syriacis, ut testatur D. Hieron. Hieron. nymus, qui, ut ait, ex Textu Hebraico illum traduxit in Latinum. A principio voluminis usque ad finem secundi capituli soluta progreditur oratione; & etiam ad calcem capituli 42. profa liber concluditur; ab initio autem Tertii capituli usque ad medium ultimi capituli 44. hexametris versibus concluditur, quod notavit D. Hieronymus Epistola ad Paulinum, & ait: Job exemplar patientiae, quae non mysteriorum suo sermone complectitur? Profa incipit, ver-

su labitur, pedestri sermone finitur. Et idem habet. Praefatione in Job. Si tamen quæras, cur Job, Psalmi, Cantica, & Ieremias lamentationes numeroso, ac poetico methodo scribuntur? Apertam rationem investigare non potui nisi forsitan ut altius in memoria fixa remaneret; nam quæ versu dicuntur altius in mente imprimuntur, & ut tot labores, ac dolores dulci methodo suavius legerentur.

Quis, & qualis fuerit Job.

- 310. Job fuit Idumæus, in terra, seu provincia Hus, quæ est una de regionibus Idumææ, seu Arabiæ. Ad hanc terram loquitur Ieremias Thren. 4. num. 21. Lazarus filia Edom, quæ habitabat in terra Hus. A quonam genus traheret? magnum dubium. A Machor fratre Abrahami dicunt Hebræi, quibus adhærent D. Hieronymus, & Bellarm. Alii dicunt fuisse ex genere Elau, quibus favent Septuaginta, Origenes, in præfat. D. Chrysost. homil. 2. de patientia Job, D. August. lib. 18. de Civit. cap. 47. D. Gregor. lib. Moral. cap. 3. Et fuit Rex, ut Reges olim dicebantur, qui uni, vel alteri civitati præerant, ut hodie sunt Duces, Marchiones, Comes, ut latè probat Sanchez Prologom. 4. ab omnibus Patribus, ut magnus, justus, sanctus ac innocens prædicatur, cap. 1. n. 22. In omnibus his non peccavit Job labiis suis, nec stultum quid contra Deum locutus est, & cap. 42. n. 7. ait Deus amicis Job: Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Fuit etiam eximius Propheta. D. Augustinus tom. 10. serm. 2. de Nativitate, ait: Job eximius Prophetarum prædicat; & in carne mea videbo Deum, quod de illo tempore prophetavit, quando Christi Deitas habitu nostra carnis induta est. D. Hieron. ad Pammachium, cum adduxisset illud Job. 19. Scio enim quod Redemptor meus vivit & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse, & non alius? statim lubdii: Quid hac propheta manifestius? Nullus tam apertè post Christum, quàm iste ante Christum de resurrectione loquitur; sic & D. Gregorius lib. 17. Moral. cap. 1. & lib. 14. c. 16. sic & communiter sancti Patres fuit etiam Sacerdos, ut colligunt sancti Patres, & Doctores, ex illo, quod dicitur cap. 1. num. 5. quod Job sanctificabat filios suos: consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis.

QUESTIO XV.

An solus David sit Auctor Psalmorum, vel etiam alii.

SUMMARIUM.

- 311 Auctoritas, & dignitas Psalmorum.
- 312 Prima sententia multos agnoscit Psalmorum Auctores.
- 313 Vera sententia solus David Auctor Psalmorum.
- 314 Prima regula assignata à Patribus non est firma, & n. 315.

D. Hieron. Bellarm. Septuag. Origenes. D. Chryf. D. August. D. Gregor.

Sanchez.

Job. 1.

Job. 42.

D. August.

D. Hieron. Job. 19.

D. Gregor.

Job. 1.

- 316 Regula assignata à D. Athanasio non est firma.
- 317 Nec Moyses, nec Abrahamus, nec Salomon sunt auctores Psalmorum. & n. 318. 319.
- 320 Primum argumentum debile, quia non semper Auctores librorum nominantur.
- 321 Secundum fundamentum rejicitur, quia frequenter ponitur in titulo Cantores Psalm. & n. 322.
- 324 Tertium argumentum non procedit, quia David spiritu prophetico prævidit, quod illi Psalmi erant decantandi à Ieremia, Ezechiele, Aggeo, & n. 325.

Hæc quæstio gravissima est, magnis, ac gravissimis difficultatibus implicata, quæ Deo dante sunt à nobis extricanda, & non est quæstio de principali Auctore Psalmorum; nam iste Divinus Spiritus absque ullo dubio, ut ait Apostolus Petrus in sua Canonica: Spiritu sancto inspirante locuti sum sancti Dei homines. Et omitto hæc quæstionem de excellentia, ac auctoritate Psalmorum, quia hæc valdè nota est, ut etiam hæretici contra Psalmos non audeant mutare, & Christus Dominus agens de ipsa scriptura peculiariter facit mentionem de Psalmis, Luc. 24. n. 44. Quæ scripta sunt in lege Moysi Prophetis, & Psalmis, Luc. 20. n. 42. Actor. 1. n. 20.

Prima sententia ad nostram quæstionem tenet, non omnes Psalmos fuisse compositos à Davide. Ita Origenes, D. Hieron. S. Hilarius, D. Athanasius, in Synopsi Eusebius in Prol. tract. 1. Lyranus Sixtus Senensis in Biblioth. & doctissimi recentiores Bonfrerius, Lahay scilicet 1. 5. n. 12. Eorum tamen magna est varietas. Nam Divus Hieron. & Lyranus assignant decem Auctores Psalmorum, scilicet Davidem, Moysen, Salomonem, tres filios Core, & Asaph, Ethan, Heman, & Idithun, & notant etiam quod in multis Psalmis, nec est Titulus, nec nomen Auctoris. Sixtus Senensis octo numerat Auctores, scilicet Davidem, Moysen, Salomonem, Asaph, Ethan, Exrabiam, Eman, Idithun, & filios Core. Et Davidi solum tribuit Septuaginta tres; alios verdè diversis Auctoribus. Bonfrerius solum quinque agnoscit Psalmographos, Davidem, Moysen, Asaph, Eman, Exrabiam, & Ethan, Exrabiam, Eorum fundamenta postea apponam.

Solus David Psalmorum Auctor.

Secunda sententia, & mihi vera, affirmat Davidem esse Auctorem omnium centum quinquaginta Psalmorum. Ita D. Augustin. lib. 10. de Civit. cap. 14. D. Ambrosius in Psal. 43. & 47. D. Basilus, D. Chrysost. Theodoret. D. Thomas, Jacobus de Valentia, & intendit explicare D. Hieronymum, ut dicentem ex aliorum sententia; & etiam Lorinus in præfatione cap. 2. quia ut rectè ratiocinantur Chrysostom. Proterno primo in Psalmos, neque Christus Dominus, neque Apostoli, neque aliqui Patres antiqui citandi alios nominant Auctores, quàm Davidem, & ut etiam notat Cassiodorus, nec Ecclesia alium Psalmorum agnoscit Auctorem, nisi Davidem: & si aliqui præferuntur Psalmi alterius nomine, vel alteri tribuuntur, quàm David, vel in ipsis Psalmis

311.

2. Petr.

Luc. 24.

Luc. 20.

Actor. 1.

312.

D. Hilar.

D. Athan.

Origen.

D. Hieron.

Euseb.

Lyran.

Senensis.

Lahay.

D. Hieron.

Bonfrer.

313.

D. August.

D. Ambros.

D. Basil.

D. Chryf.

Theodor.

D. Thom.

Valent.

Lorin.

Cassiodor.

Psalmis sunt affixi v. ritituli, hoc est ob varias causas tam habitas ab ipso Davide, quàm ab aliis, e.g. Septuaginta etiam David omnes scripsit vel certe dictavit, & alii scribiti imperavit, vel ut placet Cajetano ab aliis propositam materiam digessit in Psalmos, vel aliis tradidit concen om, & modulationem componerent, de quâ latè Cap. præfationis 4. Hypori cap. ultimo, quæ omnia magis explico.

Refutantur alii Psalmographi.

314. Origenes. D. Hieron.

Senensis.

315.

Psalmus 4.

Actor. 4.

Psalm. 99.

Psalm. 94.

Hebr. 4.

Psalm. 90.

Psalm. 98.

316.

D. Athanas.

Bonfrer.

Psalm. 25.

Actor. 2.

Psalm. 31.

Rom. 4.

Psalm. 68.

Actor. 1.

Origenes, & D. Hieron. epistol. ad Cyprianum, maxime contendunt Psalmos omnes, quibus nullum est Auctoris nomen inscriptum, illi Auctori tribuendi, qui in antecedenti Psalmo prænotatus fuit, quod verdè si plures sint Psalmi sine titulo, eos omnes esse illius Auctoris cui postremo, ac ultimo Psalmo ejus nomen in titulo positum est. Ex quo inferit Sixtus Senensis lib. 3. Moysen non tantum esse Auctorem Psalmi 89. sed etiam reliquorum usque ad 99 ejusdem esse Moysen.

At regula ista assignata à tam magnis Patribus, nec est firma, nec potest subsistere inam titulum, & secundus Psalmus nullam habet titulum; cui ergo fuit adscribenti, cum nullius nomen præcesserit. Psalmus secundus nullum habet titulum; & tamen Petrus Apostolus David dicit illius auctorem: Qui per os patris nostri David pueri tui dixisti; Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania. Actor. 4. n. 25. Et si Psalmus 89. habeat pro titulo Oratio Moysis hominis Dei, non tamen inde bene sequitur, quod omnes Psalmi usque ad 99. ipsi Moysi, sint tribuendi. Nam Psalm. 94. num. 8. Hodie si vocem ejus audieritis, & citans Apostolus ad Hebræos 4. num. 7. ipsum Psalmum Davidi tribuit, dicens: Iterum diem terminavit, quemadmodum, hodie David dicendo, est tantum temporis. Deinde in Psalm. 90. ponitur hæc inscriptio expressa: Laus Cantici David ipsi. Et ita habetur non solum in Latino Textu, sed etiam Græco. Deinde Psalm. 98. n. 6. ponitur nomen Samuelis, cum dicitur Moyses, & Araon in sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus, Samuel autem post Moysen, multis sæculis vixit.

D. Athanasius in Synopsi ponit hanc distinctionem, quod David habendus est Auctor in illis Psalmis, in quibus est subscriptio, Psalmus Davidis in genitivo, at verdè cum inscribitur Psalmus Davidi in dativo, ipse non est ejus auctor, sed alii reputandi, qui tales Psalmos Davidi offerebant, & in ejus gratiam componerant. Hanc tamen regulam meritiò impugnat Bonfrerius; nam Psalm. 15. ejus titulus inscribitur ipsi Davidi; & tamen Apostolus Petrus David dicit ejus Auctorem, Actor. 2. n. 25. David dicit in eum. Proinde habam Dominum in conspectu meo semper. Psalm. 31. In cujus titulo est David ipsi intellectus. Paulus Roman. 4. num. 6. Sicut David dicit Beati, quorum remissa sunt iniquitates, ubi ipsum David dicit illius Auctorem. Similiter Psalm. 68. in titulo est Davidi, ut clariù patet ex Hebræo, & Græco, & tamen Petrus Apostolus Davidem dicit illius Auctorem, Actor. 1. num. 16. Prædixit Spiritus sanctus per os Da-

Sylveira Opuscula.

vid. Nam sicut David Psalmos à se compositos ad modulandum dabat suis canonicibus Asaph, & Idithun, filiis Core, ut statim dicam, ita ipsemet David componeret Psalmos, quos sibi ad decantandum adscriberet.

Rabbi Salomon Gallus decem Auctores Psalmorum nominat, & cum multis Rabbiis inter eos ponit Abraham, qui dicitur ipsum Abrahamum esse Auctorem Psalm. 109. Dixit Dominus Domino meo. Sed hoc est aperte fallum: nam Christus Dominus Matth. 22. num. 43. expressè dixit Davidem esse illius Auctorem. Quomodo ergo David in spiritu vocet eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo. Dicant etiam Abraham fuisse Auctorem Psalm. 88. Sed hoc est falsum: nam frequenter in ipso Psalmo fit mentio de David, nec subscriptio Psalmi Intellectus Ethan, Ezrabiam, faveat Hebræis, quod Ethan ponitur pro Abrahamo: nam Ethan significat Orientem, à qua plaga venit Abrahamus: ac hoc est fictitium commentum: nam Ethan erat unus ex præcipuis Cantoribus Davidis, ut statim dicam.

Nec Psalmus 89. quicquid habeat pro titulo Oratio Moysis hominis Dei, non inde sequitur, quod Moyses sit illius Auctor, ut ait D. Hieronymus cum aliis; sed communis est sententia, quod David sit illius Auctor. Ita D. Augustinus, Chrysostomus, Remigius, Bruno, Carthusius, Euthymus, Cajetan, & multi alii, & etiam D. Athanasius, quorum major pars sic explicat teste Lorino, quod Psalmus intituletur Oratio Moysi, quia David illum composuit ex his, quæ Moyses frequenter orare consueverat, quod David agnovit, vel ex aliorum relatione, vel divina revelatione.

Sixtus Senensis exillimat, quod Psalmus 71. compositus sit à Salomone, nam in titulo habetur Psalmus in Salomonem, non dicitur Salomonis, sed in Salomonem, ut habent omnes codices, ut testatur Lorinus, & Euthymius, Nicephorus, Ruffinus, Remigius, Arnobius, Haymon, Bruno, Carthusianus, Hugo, Glolla legunt Psalmus Davidis in Salomonem, hoc est in profectum, & bonum Salomonis, & quod David fuerit ejus Auctor, ut notant Valentia, Cajetan, Placidus Parmensis, Janfenius, apertè constat ex fine ipsius Psalmi n. 20. ubi dicitur: Defecerunt laudes David filii Jesse. Eusebius, Nieremb. de origine sacre Scripture, cum Origene & sancto Athanasio contendit Psalm. 126. qui habet pro titulo Canticum graduum Salomonis, ab ipso esse compositum, sicut & ceteros Psalmos Graduales. Communis tamen sententia est, quod compositus fuerit à Davide, qui spiritu prophetico prævidit templum ædificandum à filio suo, sicut ei promissum fuerat à Deo. 2. Regum 7. n. 12. Et valdè mirabile est, quod 3. Regum 4. n. 32. fiat Catalogus eorum, quæ Salomon scripsit, & quod locutus sit triginta millia parabolarum, quinque millia carminum, & disputaverit de lignis, & herbis, jumentis, ac volucribus, & quod de Psalmis ab illo compositis, nulla fiat mentio; ergo nullum composit.

317.

Psalm. 109.

Psalm. 88.

318.

Psalm. 71.

D. August.

D. Chryf.

D. Remig.

D. Bruno.

Carthus.

319.

Senens.

Psalm. 71.

Lorin.

Euthym.

Nicephor.

Ruffinus.

Remigius.

Arnobius.

Haymon.

Bruno.

Carthus.

Hugo.

Valentia.

Cajetan.

Nieremb.

Psalm. 126.

2. Reg. 7.

3. Reg. 4.

POMMINS